



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

De eodem, & de Iuliano Arabo, cæco. Capvt XCVI.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Vita Patricij senis Monasterij in scopulo.

C A P V T. X C V.

ERAT quidam senex in eodem cenobio Abbatibus Theodosij sancti patris nostri, generis quidem Sebastensis, nomine autem Patricius, senex valde (dicebat enim se esse annorum centum & tredecim) mitis, & quietus. Narraverunt ergo nobis de illo ipsius loci patres, quod fuisset pater monasterij Abbatibus Cani, dimissisque Prioris officium, periculum, & iudicium metuens (magnorum enim virorum esse dicebat, pascere rationales oves) ac venisset illuc, ut sub obedientia viveret, hoc iudicans animam vtilius esse.

De eodem, & de Iuliano Arabo, cæco.

C A P V T X C V I.

Dicebant autem nobis & hoc de ipso: Cum alius hic fuisset senex, genere Arabs. Iulianus nomine, captus oculis, ipse aliquando scandalizatus est in Macharium Archiepiscopum Hierosolymitanum, nolebatque communicare illi. Quadam ergo die Abbas Iulianus significavit Abbati Symeoni, qui erat in monte mirabili (distat autem à Theopoli mons ipse millibus novem) dicens: Cæcus sum & quod abeam nescio. Neque verò qui possit auxiliari mihi, & communicare Machario detrecto. Indica mihi, pater, quid agere debeam de fratre, qui fornicatus est, & de illo, qui se cum eo iuramento constrinxit. Respondit autem Abbas Symeon Abbati Iuliano dicens: Ne recedas, neque te ipsum à sancta Ecclesia separes. Neque enim

enim illa malè habet, gratia Domini nostri Iesu Christi filij Dei. Sed & hoc scito, frater, quòd si quis in hæresim inciderit, in cœnobio vestro, habetis senem magnum, nomine Patricium. Hic autem senex iuxta sacrarium infra omnes moratur, prope occidentalem Ecclesiæ murum; dicitque & ipse pro omnibus sanctam orationem oblationis, & ipsius oblatio sancta existimatur.

Vita, & mors duorum Fratrum Monachorum, qui nunquam ab inuicem separari iurauerunt.

CAPVT. XCVII.

Dicebat autem Abbas Ioannes Anachoreta, cognomen to Rutilius, audisse se ab Abbate Stephano Moabita referente, quia cum esset in cœnobio sancti Abbatis Theodosij magni monachorum principis, erant illic duo fratres, qui sibi inuicem iurauerant, quod neque in vita, neque in morte ab inuicem separarentur. Cũ ergo cunctos in cœnobio ædificarent, vnus ex eis impugnatus à fornicatione, dixit fratri suo: Dimitte me, frater, quia impugnor à fornicatione, & ferre non præualens, volo ad seculum reuerti. Frater autem rogare cœpit eũ dicens: Noli, quæso, frater mi, noli perdere laborem tuum. Tunc is dicit ei: Aut dimitte me abire, aut tu veni mecum, vt voluptati satisfaciam. Frater autem ille cum nollet eum dimittere, abiit cum illo in ciuitatē. Ingressus igitur est in meretricis diuersorium is, qui impugnabatur. Frater autem ille foris stans, puluerem de terra super caput suũ iaciebat & semetipsum affligebat. Postquam vero ille, cõpleto fœdo opere, è lupanari egressus est, dixit ei frater: